Difs.
159

Diss. 159

1.

TRES SYNOPSES
TRIVM OPVSCVLORVM S. AVGVSTINI,
videlicet
Epiſtolae ad Sixtum, Libri de gratia & libero arbitrio, & libri de gratia & correptione,
vnacum
ASSERTIONIBVS
ex
vniuerſa Theologia Dogmatica
pro
Diſputatione Finali
in
Monaſterio Oberaltacenſi O. S. Benedicti,
e Congregatione SS. Angelorum Cuſtodum
propoſitae
a
P. MICHAELE AMAN, ibidem Profeſſo, & Profeſſore Theologiae Dogmaticae,
Reſpondentibus
P. R. P. IOSEPHO MARIA MAYR, & RRel. FF. DOMINICO GOLLOWITZ, ac INNOCENTIO RAITH,
eiusdem loci Profeſſis, & Theologiae Dogmaticae & Paſtoralis Auditoribus,
Anno 1782. Menſe Die
Horis Ante-meridianis.

Cum approbatione Reuerendiſſimi Ordinariatus Ratisbonenſis, & Exemtae Congregationis Benedictinae Bauaricae.

Straubingae typis Mariae Catharinae Betzin.

Nro 740.

Tres Synopſes trium opuſculorum S. Auguſtini &c.

Imprimantur.

Regiſtr. fol. 115.

Sign. München im Kurfürſtl. Büchercenſurcollegium den 11 Julius 1782.

Joſeph Köllmayr,
Secretarius mppr.

Bayerische Staatsbibliothek München

Praefatio.

In editione nouiſſima * operum S. Auguſtini Tomo XIV. col. 955. & ſeq. habetur Synopſis analytica libri *de Correptione & Gratia*, quam Arnauldus Doctor Sorbonicus conſcripſit. Vtiliſſimo huius viri labore captus alia S. Auguſtini opuſcula aggredi, ſimilemque quodammodo tentare propoſui Synopſin libri *de gratia & libero arbitrio.* Huic Synopſi analyticae non inaniter praemittenda videbatur doctrina epiſtolae ad Sixtum, eoquod occaſione illius tractatum de gratia & libero arbitrio adornauerit S. Doctor. Integram epiſtolam iuxta ſeriem diuiſionis in compendium coegi, retenta vix non vbique textus elocutione. Gratias Deo, ſi quid emolumenti habeat conatus iſte.

* Venet. 1756. - 69. XVIII. Tom.

SYNOPSIS EPISTOLAE S. Auguſtini ad Sixtum Presbyterum, poſtea Summum Pontificem. **

N. 1. Fatetur ſuam triſtitiam, cum fama iactaret, Sixtum inimicis gratiae chriſtianae fauere: ſed illud omne triſtitiae nubilum fugiſſe de corde ſuo, cum eadem fama tuliſſet, Sixtum priorem eis in populo frequentiſſimo anathema pronuntiaſſe, & de gratia Dei per Ieſum Chriſtum multa & multipliciter fuiſſe loquutum.

N. 2. Admonet, vt docendis inſtet, quibus terrendis ſatis, quantum comperiit, inſtitit. Enumerat, quinam ſeuerius coercendi, quinam vigilantius veſtigandi, quinam tractandi quidem lenius, ſed non ſegnius ſint docendi, vt, ſi non timentur ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant.

N. 3.

** Epiſt. 194. alias 105.

N. 3. Putant inimici gratiae auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adiutorio Dei habere poſſint; non intelligentes, quod *paretur voluntas a Domino.* a)

N. 4. Exiſtimant ſe Deum credere perſonarum acceptorem, ſi credant, quod ſine vllis praecedentibus meritis, cuius vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit; parum attendentes, quod debita reddatur poena damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri perſonarum, vbi vna eademque maſſa damnationis & offenſionis inuoluit.

N. 5. *Sed iniuſtum eſt*, inquiunt, *in vna eademque mala cauſa hunc liberari, illum puniri.*

Reſpondet Auguſtinus. Ergo iuſtum eſt, vtrumque puniri. Gratias autem agamus Saluatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione ſimilium etiam nobis debitum fuiſſe cognoſcimus. Quare autem aliquos liberet, aliquos puniat, ex Apoſtolo diſcimus: b) *Volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa irae, quae perfecta ſunt in*

a) Prouerb. 8. Sec. LXXII. b) Rom. 9. 22.

perditionem: & vt notas faceret diuitias gloriae ſuae, in vaſa miſericordiae: cui non poteſt figmentum dicere: quare me ſic feciſti? cum habeat poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; hoc ex iuſtitia, illud ex miſericordia, non meriti praerogatiua, non fati neceſſitate, non temeritate fortunae.

N. 6. Quod damnatio fiat ex iuſtitia, liberatio ex miſericordia, vberius explanat. Cuius igitur vult, miſeretur, non iuſtitia, ſed miſericordiae gratia; & quem vult obdurat, non iniquitate, ſed veritate vindictae. Hinc ſcriptum eſt, c) *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi;* vt nec miſericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus, nec veritas miſericordiam, qua liberatur indignus.

Nullane igitur, obiicit ſibi, *ſunt merita iuſtorum?*

Reſpondet: ſunt plane, quia iuſti ſunt. Sed vt iuſti fierent, merita non fuerunt. Iuſti enim facti ſunt, cum iuſtificati ſunt; dicit autem Apoſtolus d) *iuſtificati gratis per gratiam ipſius.*

N. 7. Pelagius in Synodo Palaeſtina (Dioſpolitana) anathematizauit eos, qui dicunt, gratiam Dei ſecundum merita dari.

N. 8.

---

c) Pſal. 84. 11. d) Rom. 3. v. 24.

N. 8. Pelagius per gratiam, quae ſine vllis praecedentibus meritis datur, intellexit humanam naturam, dicens: *Antequam eſſemus, non poteramus aliquid mereri, vt eſſemus.* Fallacia eſt haec, ait S. Auguſtinus. Non enim iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, vt homines eſſemus, ſed qua iuſtificati, cum mali homines eſſemus. Chriſtus enim non pro nullis, vt homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt, vt iuſtificarentur.

N. 9. Poſſunt quidem dicere Pelagiani, remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quae nullis praecedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores?

Reſpondet Auguſtinus: nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Sed fides, vnde omnis iuſtitia ſumit initium, non humano arbitrio, neque vllis praecedentibus meritis tribui debet; ſed fidem gratuitum Dei donum eſſe fateamur oportet, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.

N. 10. Sine fide nec orare, nec temporalium rerum cupiditates vincere, nec bona aeterna, atque ipſum fontem omnium bonorum Deum diligere poſſumus. Fides autem datur non oranti. Fides quidem ex auditu, ſed ideo aliquis

non credit, quia audit praedicantem. Cur enim ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident; altitudo eſt diuitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cuius vult, miſeretur, & quem vult, obdurat: neque enim propterea ſunt iſta iniuſta, quia occulta.

N. 11. Poſt remiſſionem peccatorum indigemus fide, quae per dilectionem operatur, ne ad mundatam domum cum aliis ſeptem redeat ſpiritus immundus, & fiant nouiſſima hominis peiora, quam erant prima. Fides autem operans per dilectionem Dei donum eſt gratuitum. Spiritus enim, vbi vult ſpirat.

N. 12. Fidem, qua venimus ad Chriſtum, gratuito munere dari probat S. Doctor ex eo: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit eum.* e) Et mox: *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.* f)

N. 13. Dicunt liberi arbitrii defenſores: Si credere non poſſum, niſi datum fuerit a Patre; ſi cuius vult miſeretur, & quem vult, indurat, & ſi nemo eius voluntati poteſt reſiſtere, quid adhuc

e) Ioan. 6. v. 44. f) ibid. v. 66.

huc conqueritur g) aduerſum me Deus, quod non credam.

Reſpondet 1mo cum Apoſtolo h): *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

N. 14. Reſpondet 2do. Si Deus non dederit tibi fidem, & obdurauerit te, meritum denegationis & obdurationis habes, nempe meritum peccati, propter quod vniuerſa maſſa damnata eſt. Cui autem dederit fidem, huic impertitur miſericordiam; miſericordiae autem meritum, ſi quaerimus, non inuenimus.

N. 15. Ante fidem enim nullum praeceſſit meritum, quo gratiam mereremur. *Quid enim habet homo, quod non accepit? Si autem accepit, quare gloriatur, quaſi non acceperit?* i)

N. 16. Si dixerimus meritum orationis praecedere, vt donum gratiae conſequatur, exiſtimantes, orationem inter munera gratiae non eſſe referendam, contradicimus Apoſtolo dicenti: l) *Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, interpellare nos facit, nobis interpellandi & gemendi inſpirando affectum.

N. 17. Spiritus, qui interpellat pro nobis, ſeu interpellare nos facit, non

g) Rom. 9. v. 19. h) ibid. v. 20. i) 1. Cor. 4. 7. l) Rom. 8. v. 26.

eſt Spiritus noſter, ſed eſt Spiritus ſanctus, quod pluribus Scripturae teſtimoniis oſtendit.

N. 18. Sicut ergo nemo recte ſapit, recte intelligit, recte conſilio & fortitudine praeualet, nemo ſcienter pius eſt, vel pie ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit ſpiritum ſapientiae & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiae & pietatis, & timoris Dei: nec habet quisquam virtutem veram, caritatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per ſpiritum virtutis & caritatis & continentiae: ita ſine ſpiritu fidei non eſt recte quispiam crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus. Omnia autem haec operatur vnus atque idem Spiritus ſanctus diuidens propria vnicuique, prout vult. m)

N. 19. Ante gratiam homo non habet meritum; & ſi in nobis eſt bonum meritum, non niſi gratia fecit. Quapropter cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quam munera ſua. Quamuis igitur vita aeterna non niſi meritis datur, vita aeterna tamen gratia nuncupatur ab Apoſtolo: n) *Stipendium peccati mors eſt, gratia autem Dei vita aeterna in Chriſto IEſu Domino noſtro.* Quia merita, quibus redditur, non

---

m) 1. Cor. 12. v. 12. n) Rom. 6. 23.

non a nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam.

N. 20. Stipendium iuſtitiae eſt quidem vita aeterna, vnde & merces appellatur in plurimis SS. Scripturarum locis: ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors.

N. 21. Maluit autem Apoſtolus dicere: Gratia Dei vita aeterna, quam ſtipendium iuſtitiae vita aeterna, vt humanam reprimeret elationem, tamquam diceret: quid te diſponis extollere, o humana ſuperbia, & contrariam morti vitam aeternam tamquam debitum ſtipendium flagitare? cui debetur vita aeterna, vera iuſtitia eſt. Si autem vera iuſtitia eſt, ex te non eſt, deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum. Vt haberes eam, ſi tamen habes eam, profecto accepiſti. Quid enim habes, quod non accepiſti? Quapropter, o homo, ſi accepturus es vitam aeternam, iuſtitiae quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa iuſtitia.

N. 22. Ad excuſationem eorum, qui nolunt recte & fideliter viuere dicentes, quid nos fecimus, qui male viuimus, quando quidem gratiam, vnde bene viveremus, non accepimus?

Reſpondet: non poſſunt veraciter dicere, nihil mali ſe feciſſe, qui male viuunt. Si enim nihil mali faciunt, bene vi-

viuunt: ſi autem male viuunt, de ſuo male viuunt: ſi autem bene viuunt, miſericordia Dei ipſis non debita bene viuunt.

N. 23. Ad vlteriorem excuſationem, qua dicunt, quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus male viuendo, cum illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obdurauit miſericordiam non praeſtando.

Reſpondet cum Apoſtolo o) *o homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxerit, quare ſic me feciſti? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa*, vtique merito, rectèque damnata, *facere aliud vas in honorem*, indebitum propter miſericordiae gratiam, *aliud in contumeliam* debitam propter irae iuſtitiam. Cur autem illum potius, quam illum faciat vas in honorem, aut in contumeliam, ſcrutetur qui poteſt profundum, ſed caveat praecipitium. *Nunquid enim iniquitas apud Deum?* p) abſit. Sed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viae eius.

N. 24. Qui nolunt intelligere, vt bene agant, peſſima ſua voluntate nolunt. Qui intelligunt, & non obediunt veritati, ſua peſſima voluntate non obediunt.

N. 25.

---

o) Rom. 9. 21. p) Rom. 9. 14.

N. 25. Cum inexcusabiles dicat Scriptura, qui inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspicere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, sed iniqui & impii permanserunt; multo magis inexcusabiles sunt, qui ex lege eius instructi praedicant non furandum, & furantur; & cetera, quae Apostolus ibi commemorat. q)

N. 26. Cum dicit Dominus r): *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo:* non vtique nullum haberent peccatum, qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo, cum audissent eum, non credederunt in eum.

N. 27. Inexcusabiles ergo sunt, qui scientes peccant. Sed & Dei iudicium nec iis parcet, qui non audierunt. *Quicumque enim sine* lege *peccauerunt, sine lege peribunt* s) neque enim damnantur, qui non peccauerunt. Peccauerunt autem omnes communiter ante propria in singulis quibusque peccata in Adamo. Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamen-

to

---

q) Rom. 2. v. 21. r) Ioan. 15. v. 22.
s) Rom. 1. 12.

to etiam propriae voluntatis, ſiue qui nouit, ſiue qui ignorat. Quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in vtroque non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta damnatio.

N. 28. Ideo autem diuina eloquia eos inexcuſabiles dicunt, qui ſcientes peccant, ut de ignorantia non habeant excuſationem in peccato, per quod nondum habent iuſtitiam, cui adquirendae ſolam propriam voluntatem ſufficere confidunt. Haec iuſtitia autem non habetur, nec haberi poteſt per vires propriae voluntatis, ſed per gratiam Dei per IEſum Chriſtum.

N. 29. Quapropter vniuerſi, qui ſe in nequitiis & iniquitatibus excuſatos volunt, ideo iuſtiſſime puniuntur, quoniam qui liberantur, non niſi gratia liberantur. Nam ſi excuſatio illic iuſta eſſet, non inde iam gratia, ſed iuſtitia liberaret. Cum vero non liberat, niſi gratia, nihil iuſtum inuenit in eo, quem liberat, non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem: nam ſi haec iuſta eſt, quisquis ea vtitur, merito, non gratia liberatur.

N. 30. Culpa, quam homo peccando contraxit, hominis voluntati tribuitur, nullo recuſante damnanda. Et ne-

mo liberatur, & iuſtificatur, niſi gratia Dei per IEſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei, impertito ſalubriter orationis adfectu, & effectu, donec *ſanet omnes lanquores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione, & miſericordia.* t)

N. 31. Quod Deus non fiat acceptor perſonarum, ſi in vna, eademque cauſa mala, ſuper alios veniat miſericordia, ſuper alios vero maneat ira eius, probat exemplo paruulorum, quorum alius ſic gubernatur, vt baptizatus hinc exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, exſpirat.

N. 32. Quod non ſit acceptor in ſua gratia perſonarum, nec remunerator praecedentium meritorum humanorum, pergit S. Doctor vlterius probare eodem paruulorum exemplo.

N. 33. Qui ſuſpicari conantur maioris aetatis humana merita ſeu bona, ſeu mala, premuntur paruulorum exemplo, quorum nec iſte ſibi vllis propriis meritis malis potuit adquirere violentiam ſuffocantis, nec bonis ille diligentiam baptizantis. His conſideratis exclament cum

Apo-

t) Pſl. 102. v. 3. & 4.

Apoſtolo: u) *O altitudo diuitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei! quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viae eius.*

N. 34. Vrget Exemplo Eſau & Iacob. Cum nondum nati nihil boni vel mali egiſſent, ille odio habitus, hic dilectus fuit. Quid diligebat Deus in Iacob, antequam quidquam boni feciſſet, niſi gratuitum miſericordiae donum? quid oderat in Eſau, antequam natus quidquam mali feciſſet, niſi originale peccatum?

N. 35. Ideo, inquiunt Haeretici, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praeuidebat.

Reſpondet Auguſtinus: Apoſtolus Paulus x) ipſa ſibi obiecta quaeſtione motum exprimens auditoris: *Quid ergo dicemus?* facile potuiſſet reſpondere: futura eorum opera Deus praeuidebat, quando minori maiorem ſeruiturum dicebat. Aſt reſpondit: *Nunquid iniquitas apud Deum? abſit.* Neque ex operibus vel praeteritis, vel futuris, ſed *ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori. Moyſi enim dicit, miſerebor, cuius miſeratus ero, & miſericordiam praeſtabo, cui miſericors fuero. Igitur non volen-*

u) Rom. 11. v. 33. x) Rom. 9. 14.

volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

N. 36. Horum geminorum exemplo Paulus Apoſtolus gratuitatem gratiae, de qua multum differuit, confirmare & inculcare moliebatur.

N. 37. Hoc amplius vrget Auguſtinus ex ipſo textu Pauli, vbi dicit: y) *ſed & Rebecca EX VNO CONCVBITV habens Iſaac patris ſui.* Dictum eſt, *ex vno Concubitu;* ne de ſuis, neque de parentum meritis aliorum, ſed ne de ipſius quidem vnius patris, mutata forte in melius voluntate gloriaretur Iacob dicens: Ideo ſe a creatore dilectum, quia Pater eius, quando eum feminauit, melioribus laudabilior moribus fuit: ex *vno*, inquit, *Concubitu:* vnum tunc ad feminandos meritum patris, vnum ad concipiendos meritum matris.

N. 38. Intentio igitur intuenda eſt Apoſtoli, quomodo propter gratiam commendandam velit, vt Iacob non niſi in Domino glorietur, & intelligat, ex illa maſſa originalis iniquitatis, vbi fratrem ſuum, cum quo habuit communem cauſſam, videt per iuſtitiam meruiſſe damnari, non niſi per gratiam ſe potuiſſe diſcerni, vt Dei propoſitum ſecundum electionem maneret.

y) Rom. 9. v. 7.

N. 39. Denuo ex Apoſtolo Paulo probat, electionem nullis fieri operum praecedentibus, vel futuris meritis.

N. 40. Non igitur dicat vel ſuperbi infidelis elatio, vel puniti damnabilis excuſatio: *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis reſiſtet?* z) Dicat, & audiat, quod conuenit homini: o homo tu quis es, qui reſpondeas Deo &c. &c.

N. 41. Si de Eſau & Iacob, qui vixerunt, atque ſenuerunt, dici non poteſt, quod illum oderit Deus, hunc dilexerit, quia futura eorum opera praevidit, multo minus poteſt quisquam dicere, moriturorum paruulorum, vt huic ad percipiendum baptiſmum non conſulat, illi autem conſulat, Deum futura eorum opera praeuidere. Quomodo enim futura dicuntur, quae nulla erunt?

N. 42. Sed Deus, inquiunt Haeretici, in eis, quos hinc aufert, praeuidet, quemadmodum victurus eſſet quisque, ſi viueret: & ideo, quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine baptiſmo facit emori, ſic in eo puniens opera mala, non quae fecit, ſed quae facturus fuit. *

Re-

---

z) Rom. 9. v. 19.

* Hoc vltimo ſuo effugio ſe ipſos perdunt haeretici. Quid enim dicunt ad interrogationes, quibus reſpondet Auguſtinus, quin admittant ipſi, quod impugnant?

Reſpondet Auguſtinus. Quomodo paruuli non baptizati propter malam vitam, quae fuerat futura, damnantur, quos in damnationem non ituros pollicentur Pelagiani? Dein ſi Deus iuſte punit peccata etiam nondum commiſſa, quare illum baptizatum rapit, ne malitia mutet intellectum, & fictio decipiat animam: hunc baptizatum non rapit, cuius poſtea intellectus mutatur, & anima decipitur, qui raptus, ſicut ille, non mutaretur, nec deciperetur? Et alia ſimilia.

N. 43. Ne cogantur futiliſſimam ſuam ſententiam mutare, nouum inquirunt effugium. Negant peccatum originale in filiis fidelium

N. 44. Dicentes: quomodo peccatum tranſit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus dimiſſum eſſe per baptiſmum?

Reſpondet: quod regeneratio ſpiritualis tollit, nihilominus poteſt habere generatio carnalis. Aut vero concupiſcentiae carnis infirmitas continuo ſanetur, ſicut continuo reatus eius aboletur, ſed gratia renaſcendi, non conditione naſcendi. Quidquid ſit difficultatis hac in quaeſtione, Eccleſia baptizat infantes ſiue de fidelibus, ſiue de infidelibus natos in remiſſionem peccatorum, etſi modum traductionis ignorat: ſicut agricola

non ommittit inſerendi operationem, etiamſi non poſſit ſoluere quaeſtionem, quae cauſſa ſit, vt cum aliud ſit olea, aliud oleaſter, non tamen niſi oleaſter de ſemine vtroque naſcatur.

N. 45. Reponunt haeretici. Baptizantur paruuli in remiſſionem peccatorum, non tanquam in eis fiat remiſſio, qui nullum habent peccatum: ſed quoniam licet ſine peccato, in eo tamen baptiſmate baptizantur, quo fit in quibusque peccatoribus remiſſio peccatorum.

N. 46. Hos refutat ex eo, quod parvuli exorcicentur & exſufflentur.

N. 47. Concludit epiſtolam, admonendo, vt ſi qua alia aduerſus fidem catholicam haeretici excogitarint, nota ipſi faciat. Haereticorum quippe inquietudine, vt ſcripturas vigilantius perſcrutemur, tanquam de ſomno ignauiae noſtra excitatur induſtria.

SYNOPSIS ANALYTICA
Doctrinae libri S. Auguſtini de gratia & libero arbitrio.

Occaſio ſcribendi.

S. Auguſtinus ſcripſit ad Sixtum Romanae Eccleſiae Presbyterum, poſtea Pontificem, epiſtolam, cuius Synopſin dedimus ſupra. In hac contra nouos haereticos Pelagianos gratiam Dei non ſecundum merita propriae cuiusuis voluntatis dari oſtendit. Quod vt oſtenderet, ex ſcripturis ſanctis probat 1mo omnes homines in vnam, eandemque maſſam damnationis cecidiſſe.

2do In qua potuiſſet Deus ex iuſtitia ſua omnes relinquere.

3tio Sed vt oſtenderet iram & potentiam ſuam, a Deo aliquos relinqui, quos vult; vt notas faceret diuitias gloriae ſuae, a Deo aliquos per miſericordiam & gratiam liberari, quos vult.

4to Cum autem liberatio in paruulis fiat in baptiſmate, in maioris vero aetatis hominibus in fide per dilectionem operante, gratiam baptiſmatis, fidei & dilectionis eſſe mere gratuitam.

5to Sed & orationem, qua petimus fidem, & dilectionem, eſſe donum Dei gratuitum;

6to Et ipſam bonam voluntatem, qua volumus orare, credere, diligere, non niſi gratuita gratia gratuito praeueniente & adiuuante haberi poſſe.

Quae epiſtola cum legeretur in Monaſterio Adrumetino, quidam fratres non intelligentes & exiſtimantes per gratiam, quam defendit Auguſtinus, liberum tolli arbitrium, magnos perturbationis motus excitarunt, Abbate Valentino, & Floro Monacho fruſtra renitentibus. Quapropter Creſconius & Felix, & alius Felix eiusdem Congregationis Monachi profecti ſunt ad Auguſtinum, vt ex ipſius ore circa gratiam, & liberum arbitrium edocerentur, & ſic ſupprimerentur diſſidia. Auguſtinus non contentus, vt hos ſingulatim inſtrueret, ſed vt tota ſecurius inſtrueretur Congregatio, librum de gratia & libero arbitrio conſcripſit, atque transmiſit.

Summa totius Diſputationis.

Itaque praecipuus S. Doctoris ſcopus eſt, in hoc libro oſtendere, quomodo per Dei gratiam, qua vocamur ad eum, & a noſtris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perueniamus aeternam, liberum non tollatur arbitrium.

Dog-

Dogmata,

Quae hic primario defendit Auguſtinus, ſunt 1mo liberum eſſe in homine voluntatis arbitrium: 2do Gratiam eſſe neceſſariam: 3tio Gratiam eſſe gratuitam.

Quaeſtio I.

De libero arbitrio.

In homine negari liberum voluntatis arbitrium, ſic ex epiſtola ad Sixtum confici poſſe videtur.

Obiectio.

In poteſtate ſolius liberi arbitrii eſſe debet, ſiue ad bonum, ſiue ad malum ſe inflectendi. Cum enim neceſſario bene aut male agimus, ſi voluntas ſe non poteſt pro libitu ad bonum inflectere, neceſſario flectitur ad malum: ſi autem neceſſario inflectitur, liberum eſſe non poteſt voluntatis arbitrium. At in epiſtola ſua docet Auguſtinus, voluntatem ſe non poſſe pro libitu ad bonum inflectere, quia vt poſſit, indiget gratia, quam Deus nemini debet. Quando ergo voluntas deſtituitur gratia, non poteſt ſe ad bonum inflectere; & cum a malo ſe liberare non poteſt, dura, ac in eluctabili ne-

ceſſitate fertur ad malum, & ſic liberum tollitur voluntatis arbitrium.

Reſponſio.

Credendum eſt ſcripturis, quae ſicuti praedicant neceſſitatem gratiae, ſine qua non poſſumus bene operari, ita etiam commendant liberum voluntatis arbitrium ſiue ad bonum, ſiue ad malum. Dominus dicit in Euangelio de Iudaeis a): *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Item dicit, b) Apoſtolus: *Reuelatur ira Dei de coelo in omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius a creatura mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius ac Diuinitas, vt ſint inexcuſabiles.* Quomodo dicit inexcuſabiles, niſi de illa excuſatione, qua ſolet dicere humana ſuperbia, ſi ſciſſem, feciſſem; ideo non feci, quia neſciui? Aut ſi ſcirem, facerem; ideo non facio, quia neſcio? haec eis excuſatio tollitur, quando praeceptum datur,

---

a) Ioan. 15. v. 22. b) Rom. 1. 18. & ſqs.

tur, vel ſcientia non peccandi manifeſtatur.

Liber Eccleſiaſticus dicit c): *Si volueris, conſeruabis mandata, & fidem bonam placiti. — Adponit tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit, dabitur ei.* Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanae voluntatis arbitrium.

Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri iubet Deus; quomodo iubet, ſi non eſt liberum arbitrium? quod vel maxime patet in iis mandatis, quae ipſam quodammodo nominatim conueniunt voluntatem, ſicut eſt: *Noli repellere conſilia matris tuae.* d) *Noli eſſe ſapiens apud te ipſum.* e) &: *Noli deficere a diſciplina Domini.* f) *Noli negligere legem* g) *Noluerunt accipere diſciplinam* h) & innumerabilia talia in veteribus libris diuinorum eloquiorum quid oſtendunt, niſi liberum arbitrium voluntatis humanae? In libris etiam novis euangelicis & apoſtolicis quid aliud oſtenditur, vbi dicitur: *Nolite vobis condere theſauros in terra:* i) &: *Nolite timere*

c) C. 15. 16. & ſqs. d) Prov. 1. 8. e) ibid. 3. 7. f) ibid. 3. 11. g) ibid. 3. 27. h) ibid. 1. 29. i) Math. 6. 19.

mere eos, qui occidunt corpus. k) *Si autem volens hoc facio, mercedem habeo.* l) *Ne bonum tuum velut ex neceſſitate eſſet, ſed ex voluntate.* m) *Nolite diligere mundum* n) & cetera huiusmodi. Nempe vbi dicitur, noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.

Obiectio.

Quis negat in Scripturis ſanctis aſſeri liberum hominis arbitrium? Sed auffertur hoc liberum arbitrium, quando voluntas ſe propria poteſtate vel ad bonum vel ad malum non poteſt inflectere.

Reſponſio.

Scripturarum eloquia teſtantur, hominem libero ſuo voluntatis arbitrio facere malum, & libero ſuo voluntatis arbitrio facere bonum, ad quod ſe propria ſua poteſtate non poteſt inflectere, niſi per gratiam nemini debitam arbitrium fuerit erectum.

Quae-

---

k) ibid. 10. 28. l) 1. Cor. 9. 17. m) Philem. 14. n) 1. Ioan. 2. 15.

Quaestio II.

De gratiae neceſſitate.

Vt ſaluarent liberum arbitrium, negarunt gratiae neceſſitatem.

Obiectio.

Arbitrium per gratiam erigi debere, vt bonum poſſit operari, admitti non poteſt, quia arbitrium nullo modo liberum eſt, ſi non pro ſuo libitu ſe ad bonum inflectere valet.

Reſponſio.

Credat homo ſcripturarum eloquiis, quae vt ſupra adparet, liberum adſerunt arbitrium ad bonum & ad malum, & tamen dicunt, hominem ad vitam piam, & bonam conuerſationem adiutorio, & gratia Dei indigere, ne audeat miſer homo, quando bene viuit, & bene operatur, vel potius bene viuere, & bene operari ſibi videtur, in ſe ipſo, non in Domino gloriari, & ſpem recte viuendi in ſe ipſo ponere. Sic nemo continens, niſi habeat continentiam ex Dei dono. Dicit namque ille o) *Cum ſcirem, quia nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det;*

&

o) Sap. 8. 21.

& hoc ipſum erat Sapientiae ſcire, cuius eſſet hoc donum. Dicentibus etiam Diſcipulis: p) *Si talis cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere,* reſpondit Dominus: *Non omnes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt.* Quibus ergo non datum eſt, aut nolunt, aut non implent, quod volunt: quibus autem datum eſt, ſic volunt, vt impleant, quod volunt.

Adhortans Paulus Corinthios coniuges, ne ſe inuicem fraudarent, adiecit q): *Vellem autem omnes eſſe, ſicut me ipſum.* Quia vtique ipſe ab omni concubitu continebat: & continuo ſubiunxit: *Sed vnusquisque proprium donum habet a Deo, alius ſic, alius vero ſic.*

Plura ſunt ſancta caſtitatis praecepta: vt autem iſta non ſeruentur, *vnusquisque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus* r) vbi ſi dixerit, volo ſeruare, ſed vincor a concupiſcentia mea, reſpondet ſcriptura libero arbitrio: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum* s) Quod tamen vt fiat, adiuuat gratia; quae niſi adiuuerit, nihil lex erit, niſi virtus peccati. Ait enim Apoſtolus t) *Aculeus autem mortis eſt peccatum; virtus vero pec-*

---

p) Math. 19. 10. q) 1. Cor. 7. 7. r) Iacob. 1. 14. s) Rom. 12. 21. t) 1. Cor. 15. 56. & 57.

peccati lex: gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum IEſum Chriſtum. Ergo & victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud eſt, quam donnm Dei in iſto certamine adiuuantis liberum arbitrium.

Vnusquisque vero contra ſuam concupiſcentiam dimicans oret, ne intret in tentationem: ſicut Dominus monuit Diſcipulos ſuos: u) *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Non autem intrat in tentationem, ſi voluntate bona vincat concupiſcentiam malam. Nec tamen ſufficit arbitrium voluntatis humanae, niſi a Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Si dixiſſet Saluator, vigilate, ne intretis in tentationem, admonuiſſe tantummodo videretur hominis voluntatem: cum vero addidit, & *orate*, oſtendit Deum adiuuare, ne intretur in tentationem.

Quapropter & ille orauit x), qui mandatum contra ſuperbiam accepit: *Domine Pater, & Deus vitae meae elationem oculorum ne dederis mihi.* Iam dixerat lex: *Non concupiſces* y). Velit ergo, & faciat homo ſuperbus, quod iubetur, ſi ſufficit ei arbitrium, & non indiget gratia.

Si

u) Math. 16. 41. x) Eccli. 23. 4. y) Exod. 20. 17.

Si ergo Deus non donauerit continentiam, non poteſt homo continens eſſe per liberum arbitrium; ſi Deus non donauerit humilitatem, non poteſt homo humilis eſſe per liberum arbitrium; ſi Deus non donauerit victoriam in tentationibus, non poteſt homo vincere peccatum per liberum arbitrium: non poteſt ergo ſe flectere arbitrium ad bonum, niſi iuuetur per gratiam, & tamen cum ſe flectit ad malum, libere ſe flectit.

Obiectio.

Inquiunt Pelagiani: Dei gratiam, qua iuuamur ad non peccandum, eſſe legem.

Reſponſio.

Dicit Apoſtolus: z) *Lex iram operatur.* Et alibi aa): *Vbi lex non eſt, praeuaricatio non eſt. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.* bb). *Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum eſt, ego autem*

z) Rom. 4. 15. aa) Rom. 7. 6. & ſeqs.
bb) Exod. 20. 17.

autem aliquando viuebam ſine lege; ad-veniente autem mandato peccatum reui-xit, ego autem mortuus ſum, & inuen-tum eſt mihi mandatum, quod erat in vi-tam, hoc eſſe in mortem; peccatum enim occaſione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex qui-dem ſancta, & mandatum ſanctum & iu-ſtum & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? abſit. Sed pecca-tum vt adpareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, vt fiat ſupra modum peccator, aut peccatum per man-datum. Quomodo ergo Pelagiani legem dicunt eſſe Dei gratiam, qua iuuamur ad non peccandum, & tanto contradi-cunt Apoſtolo? ille dicit, peccatum vi-res aduerſus hominem accepiſſe per le-gem, & eum per mandatum, quamuis ſanctum, & iuſtum, & bonum, tamen occidere, & per bonum operari ei mor-tem, de qua non liberaretur, niſi viui-ficaret Spiritus eum, quem littera occi-derat, ſicut alio loco dicit cc): *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat:* & iſti indociles contra lucem Dei caeci, & con-tra vocem Dei ſurdi occidentem litteram viuificare dicunt, & viuificanti ſpiritui contradicunt.

Ob-

cc) 2. Cor. 3. 6.

Obiectio.

Sed & ausi sunt Pelagiani dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, vt habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, vt dominemur piscibus maris & volucribus coeli, & omnibus pecoribus, quae repunt super terram.

Responsio.

Non est haec gratia, quam sic commendant scripturae. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est, nobis esse communem: gratia vero, quam sic commendant scripturae, est gratia per fidem Iesu Christi: haec eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides: *Non enim omnium est fides.* dd) Denique sicut eis, qui volentes in lege iustificari a gratia exciderunt, verissime dicit: *Si ex lege iustitia: ergo Christus gratis mortuus est:* ee) Sic & his, qui gratiam, quam commendat, & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur: si ex natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.

dd) 2. Thessal. 3. 1. ee) Galat. 2. 21.

Obiectio.

Dicunt Pelagiani, gratiam Dei, quae data est per fidem Iesu Christi, quae neque lex est, neque natura, ad hoc tantum valere, vt peccata praeterita dimittantur, non vt futura vitentur, rel repugnantia superentur.

Responsio.

Si hoc verum esset, vtique in oratione Dominica cum dixissemus, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* non adderemus, *& ne nos inferas in tentationem* ff). Illud enim dicimus, vt peccata dimittantur; hoc autem, vt caueantur, siue vincantur: quod a Patre, qui in Coelis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanae hoc possemus efficere.

Quaestio III.

De gratiae gratuitate.

Inimici gratiae omnem mouerunt lapidem, vt extollerent liberum arbitrium, & non in Domino, sed in se gloriari possit humana superbia: Gratiam propterea Dei per Iesum Christum Do-

ff) Math. 6. 12.

minum noſtrum ſecundum merita dari adſeruerunt.

Obiectio.

Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ex pluribus ſcripturae teſtimoniis euincere conabantur Pelagiani, quale eſt omnium loco hoc vnum: *Conuertimi ad me, & ego conuertar ad vos* gg): Vt ſecundum meritum conuerſionis noſtrae ad Deum detur gratia eius, in qua ad nos & ipſe conuertitur.

Reſponſio.

Ipſa ad Deum noſtra conuerſio eſt donum Dei: Dicitur enim ei, *Deus virtutum conuerte nos*: hh) &: *Deus tu convertens vivificabis nos*: ii) & alia huiusmodi.

Meritum quidem fuit in Apoſtolo Paulo, ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam: vnde dicit kk) *Non ſum idoneus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Sed redditum eſt ei bonum pro malo, ideoque dicit: ll) *Sed gratia Dei ſum id quod ſum.* Vt alia ſcripturarum taceantur eloquia, non ſolum nullis bonis, verum etiam multis me-

gg) Zach. 1. 3. hh) Pſl. 79. 8. ii) ibid. 84. 7. kk) 1. Cor. 15. 9. ll) ibid. v. 10.

meritis malis praecedentibus videmus gratiam datam, & quotidie dari videmus.

Obiectio.

S. Doctor ipse sibi hic obiicere videtur: si merita nostra mala sunt, & nihil boni nisi per gratiam agere possumus, ergo nulla sunt merita nostra bona?

Responsio.

Omnino sunt. Cum enim data fuerit gratia, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen. Inuenimus enim Apostolum Paulum sine vllis meritis bonis Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis; sed de sua iam propinquante passione scribit ad Timotheum: mm) *Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Ista vtique iam merita sua bona commemorat; vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Pergit enim, *superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.*

mm) 2. Tim. 4. 6.

Obiectio.

Dicebant Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero, quae datur in fine, id est, aeternam vitam, meritis nostris praecedentibus reddi. Merita autem haec praecedentia sic praedicabant, vt ea ex semetipso habere hominem dicerent.

Responsio.

Si homo haec merita, quae Deus coronat, ex semetipso habet, quomodo verum est, quod dicit Apostolus nn): *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed videamus, vtrum haec merita sua, quibus dixit coronam iustitiae redditurum iustum iudicem Apostolus Paulus, tanquam sua ipsius, id est, propria virtute comparata, & non potius dona Dei esse glorietur. *Bonum certamen certavi*, inquit, *cursum consummaui, fidem servaui.* Ista bona opera, si non ea praecessissent cogitationes bonae, nulla essent. Sed de ipsis cogitationibus dicit oo): *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia*

nn) 1. Cor. 4. 7. oo) 2. Cor. 3. 5.

tia noſtra ex Deo eſt. Dein de ſingulis. *Bonum*, inquit, *certamen certaui.* Qua virtute? vtique ea, de qua dicitur Deuteronomii c. 8. v. 17. *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meae fecit mihi virtutem magnam hanc: Sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipſe tibi dat fortitudinem facere virtutem.* Quis dedit victoriam, niſi ille, de quo ipſe dicit pp): *Gratias Deo, qui dat victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Curſum conſummaui, ſed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: qq) *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quae ſententia nullo modo poteſt etiam ſic conuerti, vt dicatur, non miſerentis Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis.

Poſtremo dixit: *Fidem ſeruaui.* Sed ille hoc dixit, qui alibi ait rr): *Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem.* Non dixit, miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram; ſed *vt fidelis eſſem*, oſtendens ipſam fidem niſi Deo miſerante haberi non poſſe, & eſſe donum Dei. Quod apertiſſime docet dicens ss): *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non*

---

pp) 1. Cor. 15. 57. qq) Rom. 9. 16. rr) 1. Cor. 7. 25. ss) Epheſ. 2. 8.

ex vobis, ſed Dei donum eſt. Et ne diceret, ſuis operibus ſe donum tale meruiſſe, continuo ſubiecit: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur.*

Obiectio.

Hac occaſione S. Doctor duplicem ſibi facit obiectionem 1mo ſi ſalus per fidem, & non ex operibus; ſicut alibi Apoſtolus dicit tt): *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*: ergo fides ſine operibus bonis ſufficit ad ſalutem?

Reſponſio.

Abſit, vt ſentiret hoc vas electionis; qui cum dixiſſet uu): *In Chriſto enim Ieſu neque Circumciſio aliquid valet, neque praeputium;* mox addidit: *ſed fides, quae per dilectionem operatur.* Haec fides fideles Dei a daemonibus ſeparat, qui etiam *credunt, & contremiſcunt*, xx) ſed non bene operantur. Non ergo habent iſtam fidem, ex qua iuſtus viuit, id eſt, quae per dilectionem operatur, vt reddat ei Deus vitam aeternam ſecundum opera eius.

Ob-

tt) Rom. 3. 28. uu) Gal. 5. 6. xx) Iac. 2. 19.

Obiectio.

2do Si vita aeterna bonis operibus redditur, quomodo gratia eſt vita aeterna, cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo Apoſtolo dicente yy): *Ei, qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*: & tamen alibi Apoſtolus dicat zz): *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: quomodo ſibi non contradicit?

Reſponſio.

Haec quaeſtio nullo modo diſſolui poſſe videtur, niſi intelligamus, & ipſa bona opera noſtra, quibus aeterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus Ieſus: aaa) *Sine me nihil poteſtis facere*; Et ipſe Apoſtolus: bbb) *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quae praeparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Itaque ſi vita bona noſtra nihil aliud eſt, quam Dei gratia,

yy) Rom. 4. 4. zz) Rom. 6. 23. aaa) Ioan. 15. 5. bbb) Eph. 2. 8.

ſine dubio & vita aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia eſt: haec autem, quae illi datur, quoniam praemium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia. Quapropter eum Apoſtolus dicit: *Stipendium peccati mors* (merito enim ſtipendium, quia militiae diabolicae mors aeterna tanquam debitum redditur) poſſet dicere, & recte diceret, ſtipendium autem iuſtitiae vita aeterna: ſed maluit dicere, *gratia autem Dei vita aeterna:* vt hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad aeternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere, de quo in pſalmo dicit homo eius animae ſuae: *Qui coronat te in miſeratione & miſericordia.* ccc)

Obiectio.

Alio ſe vertunt humanorum meritorum patroni, gratiae inimici: Etſi, inquiunt, gratia non datur ſecundum merita bonorum operum, quia per ipſam bene operamur, tamen ſecundum merita bonae voluntatis datur: quia bona voluntas praecedit orantis, quam praeceſ-

ſit

ccc) Pſal. 102. 4.

fit voluntas credentis, vt secundum haec merita gratia sequatur exaudientis Dei.

Responsio.

Quod fides, seu voluntas credentis sit donum Dei, & non liberi arbitrii, mox supra dictum fuit. Porro, si voluntas credentis est liberi tantummodo arbitrii, nec datur a Deo, propter quid pro eis, qui nolunt credere, oramus vt credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus, etiam peruersas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse conuertere. Liberum quidem hominis pulsatur arbitrium, vbi dicitur: ddd) *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra:* sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam eee): *Et dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in praeceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent, & faciant eas: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.* Nunquid ergo possumus nisi absurdissime dicere, bonum meritum bo-

ddd) Psal. 94. 8. eee) Ezech. 11. 19.

nae voluntatis in homine praeceſſiſſe, vt euelleretur ab eo cor lapideum: quando quidem ipſum cor lapideum non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem & aduerſus Deum omnino inflexibilem?

Per eundem Prophetam alibi oſtendit Dominus non propter aliqua hominis merita bona, ſed propter nomen ſuum gratiam dari fff): *Ego facio, Domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum, quod profanaſtis in gentibus, quo intraſtis illuc, & ſanctificabo nomen meum magnum, quod profanatum eſt in gentibus, quod profanaſtis in medio eorum: & ſcient gentes, quia ego ſum Dominus - - & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis, & faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Haec itaque gratia non ſecundum merita bonae voluntatis datur, ipſo Domino teſtante: *Ego facio, Domus Iſrael ſed propter nomen meum ſanctum.* Quare dixit: *Ego facio, Domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum*, niſi ne illi putarent, propter bona ſua merita vel operis, vel voluntatis fieri? Non ſolum autem bona merita eorum nulla, verum etiam mala merita praeceſſiſſe demonſtrat dicendo: *Sed propter nomen meum*

fff) Ezech. 36. 22. & ſeqs.

meum ſanctum, quod profanaſtis in gentibus.

Obiectio.

Quid ergo facit liberum arbitrium, ſi neque opus bonum, neque bonam habere poteſt voluntatem?

Reſponſio.

Nemo putet, nihil facere homines per liberum arbitrium, cui dictum eſt in pſalmo ggg): *Nolite obdurare corda veſtra*, Et per ipſum Ezechielem: hhh) *Proiicite a vobis omnes impietates veſtras, quas impie egiſtis in me, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & facite omnia mandata mea. Vt quid moriemini Domus Iſrael, dicit Dominus; quia nolo mortem morientis, dicit Adoniai Dominus, & conuertimini, & viuetis?* Meminerimus, eum dicere, *& conuertimini, & viuetis:* cui dicitur, *converte nos Deus.* Meminerimus eum dicere, *facite vobis cor nouum:* qui dicit, *dabo vobis cor nouum.* Quomodo ergo, qui dicit, *facite vobis;* hoc dicit, *dabo vobis?* Quare iubet, ſi ipſe daturus eſt? quare dat, ſi homo facturus eſt; niſi quia dat, quod iubet, cum adiuuat, vt faciat,

---

ggg) Pſal. 94. 8. hhh) Ez. 18. 31.

ciat, cui iubet? Semper igitur voluntas in nobis est libera; sed non semper bona. Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo bonae voluntatis; erit autem malae, si gratia se subtraxit; si enim gratia se subtrahit, cadit homo, non erectus, sed praecipitatus libero arbitrio. Per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas, quae iam esse coepit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata, quae voluerit. Homo ergo, qui vult, & non potest, nondum se plene velle cognoscat, & oret, vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur, vt faciat, quod iubetur.

Obiectio.

Dicunt Pelagiani: nos per liberum arbitrium sine adiutorio posse mandata implere. Non enim iuberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri.

Responsio.

Ideo Deus iubet aliqua, quae non possumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Quod ille nouit, qui dixit iii): *Pone Domine custodiam ori meo.* Mandatum vtique habuit: *Cohibe linguam*

iii) Psal. 140. v. 3.

quam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum kkk). Habuit etiam voluntatem ſuam: ſed quia rectiſſime credidit, mandatum, & liberum arbitrium non ſufficere ad mandatum implendum, orauit in ore ſuo dari cuſtodiam.

Certum eſt, nos ſeruare mandata, ſi volumus: *Sed quia praeparatur voluntas a Domino*, lll) ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cum volumus: ſed ille facit, vt velimus bonum. Deus eſt enim, *Qui operatur in nobis & velle.* mmm) Certum eſt, nos facere cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus, praebendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, *Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis.* Quando ergo orauit, *Pone Domine cuſtodiam ori meo*, quid aliud orauit, niſi fac Domine, vt ponam cuſtodiam ori meo: Quod beneficium Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit: *Poſui ori meo cuſtodiam.* nnn) Qui ergo vult facere mandatum Dei, & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & inualidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robuſtam.

Spe-

---

kkk) Pſal. 33. 14. lll) Prou. 8. Sec. LXXII.
mmm) Philipp. 2. 13. nnn) Pſ. 38. 2.

Specialis Quaestio

De Potestate Dei in Voluntates & Corda hominum.

Ex pluribus diuinorum eloquiorum testimoniis probat S. Doctor, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quando voluerit, & quocunque voluerit, siue ad beneficia quibusdam praestanda pro sua misericordia, siue ad poenas quibusdam inferendas pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto, *Quia non est iniquitas apud Deum* ooo). Exempla huius veritatis sunt: induratio Pharaonis ppp.) Fuga Israelitarum a facie hostium de ciuitate Hai qqq) Filius Gemini maledicens Regi Dauid. rrr) Abessalon consilium Achitophel repudians sss) Roboam filius Salomonis respuens consilium salubre Seniorum. ttt) Iudas Christum tradens. Iudaei Christum crucifigentes, & alia, quae omnia adeo neruose, & eleganter explanat, vt & liberum arbitrium, & omnipotentia Dei in voluntates & corda hominum manifeste adpareant.

---

ooo) Rom. 9. 14. ppp) Exod. 7. 3. & 10. 1. qqq) Ios. 7. rrr) 2. Reg. 16. sss) 2. Reg. 17. ttt) 3. Reg. 12.

reant. Sic autem concludit, potens est Deus, siue per Angelos vel bonos vel malos, siue quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut creuit per propriam voluntatem: quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, vt ipsa corda essent ex malis bona.

Opera & studio Arnauldi ANALYTICA SYNOPSIS doctrinae libri S. Augustini de correptione & gratia.

Scribendi Occasio.

Libri huius scribendi occasionem ortam ex eo testatur Augustinus Lib. 2. Retractationum cap. 67. quod ei nuntiatum esset, in monasterio Adrumetino quemdam dixisse, neminem corripiendum, si Dei praecepta non faciat, sed pro illo, vt faciat, tantummodo orandum.

Summa totius Disputationis.

Itaque praecipuus S. Doctoris scopus est, in hoc libro ostendere, quomodo nec sana de gratia Christi doctrina officiat correptioni, nec correptio gratiae.

Vera

Vera de gratia Christi dogmata, quae in hac disputatione subponuntur.

Quoniam vero Monachus ille de gratia Dei contra correptionem argumentabatur, hinc vera de gratia Christi dogmata in sui erroris confirmationem assumebat, 1. quod sine gratia nec declinare a malo quis possit, nec vllum prorsus facere bonum. 2. Quod gratia ista nihil sit aliud quam inspiratio dilectionis, per quam homines praecepta Dei ex charitate faciant. 3. Quod per gratiam Deus in nobis operetur velle, & operari: vnde consequens est, eum gratiam non accepisse, qui nec vult, nec operatur.

Ex his catholicae, propheticae, & apostolicae, vt loquitur Augustinus, fidei principiis, duo videntur colligi posse aduersus correptionem: 1. Inutilem illam esse: 2. Non esse iustam.

I. Quaestio.

De vtilitate correptionis.

Primo ergo superfluam & inutilem esse correptionem sic videtur confici posse.

Obiectio.

Vt velimus & faciamus, Deus operari debet in nobis per gratiam ſuam velle, & facere. Si ergo non fecero praecepta Dei, non ego corripiendus ſum, ſed orandus Deus, vt det, quod non dedit, id eſt, gratiam, qua eius praecepta fiant.

Reſponſio.

Reſpondet Auguſtinus, corripiendos eſſe peccatores, non tantum pro illis Deum orandum, vt ſua illis vitia demonſtrentur, & vtili vel pudore vel dolore ſtimulati reformatorem deſiderent, eique ſupplicent, ne in illa remaneant foeditate. Re vera tamen correptionem tunc tantum eſſe ſalubrem, quando ſupernus medicus reſpicit. Sed quia nobis incertum eſt, quibusnam Deus per gratiam ſuam ſalubrem illam facturus ſit, omnibus eam ex charitate medicinaliter adhibendam, etiamſi ſalus aegrotantis incerta ſit; facturo Deo aut miſericordiam aut iudicium; miſericordiam quidem, ſi a maſſa perditionis ille, qui corripitur, gratiae largitate diſcretus eſt: iudicium vero, ſi non eſt praedeſtinatus.

II. Quaestio.

De Iustitia Correptionis.

Verum in 2. capite praecipua difficultas est, quomodo scilicet non sit iniusta correptio; vnde hanc sibi Augustinus proponit obiectionem.

Obiectio.

Corripiendus non est, quod Dei praecepta non faciat, qui gratiam, qua praecepta fiant, a Deo non accepit, nec eam sibi ipsi dare potuit. At cum praecepta non facio, gratiam qua praecepta fiant, a Deo non accepi, hoc est, fidelem Dei & proximi charitatem; quia cuicumque illa charitas inest, necesse est, vt insit ei obedientia mandatorum: nec eam possum mihi dare vel sumere ipse. Corripiendus ergo non sum, si Dei praecepta non fecero; sed orandus Deus, vt det, quod non dedit, hoc est, illam charitatis inspirationem, per quam solam veraciter potest impleri praeceptum.

Responsio.

Si S. Augustinus sufficientem illam gratiam agnosceret, quam omnibus omnino lapsis hominibus dari contendunt Theologi quidam recentiores, vno verbulo

bulo ex hoc se laqueo expediret, concedendo scilicet propositionem, & assumtionem negando, eoquod nullus sit, qui necessariam ad faciendum praeceptum gratiam non accepit, & qui proinde iuste non corripiatur, si non fecerit. Sed contraria prorsus via progreditur Augustinus; agnoscit enim tamquam verissimum, quidquid assumitur in hoc Syllogismo, nempe: quicumque praeceptum non facit, gratiam qua praecepta fiant, a Deo non accepisse: Sed negat propositionem, & totus in eo est, vt ostendat iuste corripi, qui praecepta non facit, etiamsi gratiam qua praecepta fiant, a Deo non acceperit.

Respondet ergo, querelam illam instituisse, vel de iis, qui nondum regenerati sunt, vel de iis, qui cum iustificati essent, a gratia exciderunt; non regeneratos quidem iuste corripi, quia fecit Deus hominem rectum: ac per hoc prima prauitas qua Deo non obeditur, ab hoc est, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, prauus effectus est. Neque vero prauitatem istam corripiendam non esse in homine, quia non eius propria, qui corripitur, sed communis est omnibus: immo vero corripiendum & in singulis, quod est omnium. Regeneratos vero & iustificatos recte corripi,

quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amiserunt arbitrio.

Specialis Obiectio.

De iis, qui perseuerantiam a Deo non acceperunt.

Sed aduersus hanc responsionem rursus sibi opponit Augustinus: quomodo iuste corripior, qui licet fidem acceperim, quae per dilectionem operatur, in illa tamen vsque ad finem perseuerantiam non accepi?

Responsio.

Vt ad hanc instantiam respondeat, primum confirmat, quod in obiectione assumitur: & magnum Dei munus esse perseuerantiam in bono proficientem vsque ad finem; nec esse nisi a Deo; nec aliis dari, quam iis, qui perseuerant. Iuste tamen corripi contendit, qui non perseuerant; quia mala sua voluntate non perseuerant. Quod autem perseuerantiam a Deo non accipiant, inde prouenire, quia non sunt ab illa perditionis massa, quae facta est per Adam, diuinae gratiae largitate discreti. Vnde quod desit adiutorium, sine quo in bono permanere non possunt, in poenam peccati esse.

esse. Ac proinde iuste corripi, & a Deo puniri. Quia cum homo per liberum arbitrium Deum deseruerit, iustum Dei iudicium expertus est, vt cum tota sua stirpe, quae in illo adhuc posita tota cum illo peccauerat, damnaretur. Vnde quotquot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, a damnatione vtique liberantur, qua iam tenentur obstricti, a qua etiam si nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iuste reprehenderet. Itaque summa vtriusque responsionis est, & quantum ad non regeneratos, & quantum ad regeneratos qui non perseuerant, iuste corripi, qui praecepta non faciunt, etiamsi gratiam qua praecepta fiant, non acceperint; quia secundum Apostolum, euntibus omnibus ex vno in condemnationem, iuste potest Deus, quoscumque voluerit, in illa perditionis massa relinquere, & gratiam suam illis non dare. Ergo in vtrisque non iustam excusationem esse, sed iustam damnationem.

III. Quaestio.

Cur vni detur, alteri non detur perseuerantia.

His duabus quaestionibus, quae pracipuum libri scopum spectant, tres alias quasi corollariorum vice interserit

Auguſtinus. Primam, cnr vni detur perſeuerantia, alteri non detur. Secundam, de praedeſtinatione Sanctorum. Tertiam, de differentia inter gratiam primi hominis & Angelorum; & gratiam Chriſti Saluatoris.

Ad primam ex his tribus, cur vni detur perſeuerantia, alteri non detur; nihil aliud reſpondet, quam ſe ignorare; cum hoc ad inſcrutabilia Dei iudicia pertineat, quae quoniam iuſta & alta ſunt, nec vituperari debent, nec penetrari; & ſufficit nobis audire dicentem Apoſtolum, o homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? &, o altitudo diuitiarum! &c. quod vt confirmet, ſimilia quaedam exempla proponit inſcrutabilium & ſtupendorum iudiciorum Dei. Vnum eſt, cur illi paruulo detur baptiſmus, alteri non detur; cum ſit vtrumque in poteſtate Dei, & ſine illo Sacramento nemo intret in regnum Dei. Alterum eſt, cur iuſtorum alios Deus de huius vitae periculis rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum; alios in hac vita relinquat, donec a bono deficiant, & tales eos vitae huius finis inueniat.

Obiectio.

Ad liberum hominis arbitrium pertinet, vt perſeueret in bono quisque,

vel

vel non perſeueret. Non ergo hic confugiendum ad inſcrutabilia iudicia Dei.

Reſponſio.

Reſpondet Auguſtinus, hoc dici non poſſe, niſi ab inimicis gratiae Dei, qui liberum arbitrium non ſecundum gratiam, ſed contra eam defendunt. Certum enim eſt, neminem perſeuerare, niſi qui perſeuerare velit; & eos non perſeuerare, qui perſeuerare nolunt, & mala ſua voluntate a bono deficiunt. Sed quia nemo perſeuerantem illam in bono voluntatem habere poteſt, niſi qui a Deo acceperit, & cui praeparata fuerit voluntas a Domino; quod huic praeparetur, illi non praeparetur, non iam a libero hominis arbitrio diuerſitatis huius ratio peti poteſt, ſed recurrendum cum Apoſtolo ad altitudinem impenetrabilium iudiciorum Dei; nec erubeſcendum eſt neſcire nos, quod Doctor gentium ſe ignorare profeſſus eſt. Hanc doctrinam maxime illuſtrat Auguſtinus exemplo Petri, pro quo Chriſtus rogauit, ne deficeret, fides eius. Et tamen quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, qua fidelis erat, voluntas ipſa deficeret; & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? ſed quia praeparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Chriſti non poſ-

set esse inanis oratio, id est, fieri non poterat, vt aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, vt vellet.

IIII. Quaestio.

De Praedestinatione Sanctorum.

Ex occasione huius quaestionis, cur vni detur perseuerantia, alteri non detur, differit Augustinus de praedestinatione Sanctorum; vt ostendat, perseuerantiam omnibus praedestinatis, qui vere sunt filii promissionis, & a Patre Christo dari, vt non pereant, sed habeant vitam aeternam. De hac ergo multa docet ex scripturis. 1. Per peccatum Adami ex omnibus hominibus vna facta est perditionis massa, supplicium debens diuinae iustitiae; adeo, vt si nullus inde liberaretur, iustum Dei iudicium nemo recte posset reprehendere. 2. Non murmurandum aduersus Deum, sed illi potius gratiae agendae, quod de tam iusta damnatione in comparatione pereuntium pauci, in suo vero numero multi liberantur, caeteris in ea iustissimo Dei iudicio derelictis. 3. Haec liberatio fit per aeternum miserantis Dei propositum, quo Deus quosdam saluare decreuit per sanguinem Mediatoris, & erutos

a poteſtate tenebrarum in aeternum Filii ſui regnum transferre. Vnde eos adpellat Auguſtinus, ordinatos ad vitam aeternam, Praedeſtinatos in regnum Dei, Electos ad regnandum cum Chriſto, & ad obtinendum regnum Dei. 4. Haec autem praedeſtinatio ad vitam aeternam omnino gratuita eſt, & antecedit bonorum omnium meritorum praeuiſionem, cum nulla ſubponat in praedeſtinatis niſi merita mala, vtpote qui per illam a damnatione liberentur, qua ſimul cum aliis omnibus hominibus iam tenebantur obſtricti. Hinc eos vocat poſt Apoſtolum, vaſa miſericordiae; & per Dei gratiam Dei regno praedeſtinatos; & ab originali damnatione non meritis ſuis, ſed diuinae gratiae largitate discretos; & electos in Chriſto ante conſtitutionem mundi per electionem gratiae, non praecedentium meritorum ſuorum. 5. Non ergo ex meritis praedeſtinatio ad gloriam, ſed ex praedeſtinatione ad gloriam merita, quibus ad illam perducantur electi. Hinc enim fit, vt eis procuretur audiendum Euangelium, & cum audiunt, credant; & in fide, quae per dilectionem operatur, vsque in finem perſeuerent; & ſi quando exorbitant, correpti emendentur, &c.: haec enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiae operatus eſt eos &c. 6. Certa

eſt & immutabilis haec electio. Vnde ex iſto certiſſimo & feliciſſimo numero nullus excidit, nullus perit: ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quia ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus vt non pereat, ſed habeat vitam aeternam. 7. Perſeverantia igitur proprium eſt donum electorum, quod omnibus Electis datur, nec vllis datur niſi electis. 8. Ad illos ſolos pertinet, quod ait Paulus: „ *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Hoc enim *Propoſitum* aeternum Dei decretum ſignificat, quo Deus electos ſuos ſaluari conſtituit. 9. De his etiam ſolis intelliguntur eiusdem Apoſtoli verba: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt, omnes praedeſtinatos: quia omne genus humanum in eis eſt, cum ex vtroque ſexu, ex omni gente, gradu, aetate & conditione ſaluentur. Quodſi Deus omnes omnino homines vellet ſaluos fieri, omnes omnino ſaluarentur: quia volenti Deo ſaluum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.

V. Quaestio.

De differentia inter gratiam primi hominis & Angelorum, & gratiam Christi Saluatoris.

Haec differentia merito totius doctrinae de gratia clauis adpellari potest; quam in aliis quidem operibus notat Augustinus, sed in hoc libro diligentius exponit, vt grauissimam, quae inciderat, de data vel non data primo homini perseuerantia difficultatem solueret. Nam aduersus quae de hominibus iuste corripiendis, licet perseuerantiae donum a Deo non acceperint, differuerat, hanc obiectionem non sane contemnendam fieri posse, vidit vir perspicacissimus.

Obiectio.

Si iuste puniuntur a Deo, qui non perseuerant, licet perseuerandi donum, sine quo nullus perseuerat, a Deo non acceperint, quia illud ideo non acceperunt, quod a massa perditionis diuinae gratiae largitate discreti non sunt: quomodo extra culpam Adamus non fuit, de quo id dici non potest, quia nondum erat in illa perditionis massa, quae per illius peccatum facta est, & qui tamen non videtur perseuerantiam a Deo accepisse,

piſſe, quandoquidem in bono non perſeuerauit ?

Reſponſio.

Reſpondet Auguſtinus, longe aliam primi hominis & Angelorum, aliam lapſorum hominum eſſe rationem. In illis enim Deum oſtendere voluiſſe, quid poſſet liberum arbitrium, non quod illos ſine ſua gratia eſſe voluerit, ſed quod eam reliquerit in eorum libero arbitrio: in aliis vero quid poſſet partim ſuae gratiae beneficium, nempe in praedeſtinatis, quos potentiori gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter agit; partim iuſtitiae iudicium nempe in reprobis, quibus iuſto iudicio ſaluatricis gratiae ſuae dona non impertitur, vt in eis oſtendat, quid meruerit vniuerſa conſperſio. Duplex itaque adiutorium eſſe; aliud enim eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit. Primo homini & Angelis adiutorium a Deo datum eſſe, non quo perſeuerarent, ſed tantummodo ſine quo perſeuerare non poſſent: perſeuerare autem & non perſeuerare in eorum libero relictum eſt arbitrio. Gratiam datam eſſe. qua haberent iuſtitiam, ſi vellent, ſed quam Deus in eorum libero reliquit arbitrio. Iam vero Sanctis non tan-

tantum tale adiutorium perſeuerantiae dari, ſine quo perſeuerantes eſſe non poſſint, ſed vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint. Talem gratiam dari, non tantum vt habeant iuſtitiam, ſi velint, ſed etiam, vt velint, id eſt, talem gratiam dari, non quae ex eorum libero dependeat arbitrio, ſed quae illorum liberum ſibi ſubiiciat arbitrium.

Cauſſae diſcriminis gratiae, ſine qua non, & gratiae qua.

Cauſſam huius diſcriminis non ex ſuo capite commentus eſt S. Doctor, ſed pro ea, quam a Deo acceperat, ſublimi rerum diuinarum intelligentia, ex Scripturarum Oraculis & ex intimis hauſit naturae penetralibus; ex ſanitate ſcilicet & infirmitate voluntatis humanae; quia enim primi hominis voluntas ſana erat, nihilque illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, hinc digne tantae bonitati & bene viuendi facultati, perſeuerandi commiſſum eſt arbitrium. Nunc vero poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, & ſub dominantis concupiſcentiae iugo captiua voluntas iacet, ſubuentum eſt illius infirmiti, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur. Fortiſſima ergo

go dimisit Deus, atque permisit, facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissime quod bonum est vellet, & hoc deserere inuictissime nollent.

Aliam adhuc eius discriminis caussam tangit Augustinus, sed quae ex priori pendeat. Placuit enim Deo, quo maxime humanae superbiam praesumtionis exstingueret, vt non glorietur omnis caro coram Ipso. Vnde autem non glorietur omnis caro coram ipso, nisi de meritis suis? quae quidem potuit habere, sed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium. Propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis. Non quod Sancti nunc merita non habeant, sed merita gratiae non liberi arbitrii, id est, illis per gratiam liberum sibi subiicientem arbitrium collata. At primus homo merita habuisset, sicut & habuerunt Angeli Sancti, non peculiariter gratiae, sed liberi arbitrii, quia profecta a libero arbitrio, a gratia quidem adiuta, sed a gratia potentiam, non actum & voluntatem ipsam tribuente.

Ex his igitur principiis ad difficultatem propositam de casu Adami respondet Augustinus: Adamum sua culpa cecidisse, quia adiutorium, sine quo manere non posset, & quo manere posset,

si

si vellet, a Deo accepit: quod si non accepisset, vtique sine culpa sua cecidisset. Nunc vero extra culpam non esse, qui non perseuerant, licet tale adiutorium, sine quo perseuerare non possunt, a Deo non acceperint; quia quod tale adiutorium illis desit, iam poena peccati est.

Ibi maxime notandum est, ad solvendam difficultatem de casu Adami S. Augustinum gratiam sufficientem in subsidium aduocare: cur ergo eadem solutione non vtitur in soluenda difficultate de non perseuerantibus nunc fidelibus? nisi quia recte iudicauit, nullum iam esse amplius gratiae illi sufficienti locum, quia sani hominis adiutorium est, non medicinale, quo iam homo multis profundisque vulneribus confossus indiget, Christi Saluatoris auxilium.

Asser-

Assertiones

ex

vniuersa Theologia Dogmatica.

Prooemium.

Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia coeli, & indicabunt tibi: loquere terrae, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris, quod omnia haec manus Domini fecerit. Interroga coelos, & enarrabunt gloriam Dei: loquere firmamento, & annuntiabit tibi, quod sit opus manuum Domini. Haec considerans homo in Authorem eorum suspirat: o quam magnus, quam admirabilis, quam sapiens & bonus est, qui haec cuncta fabricauit! Considerans haec homo, respicit ad se ipsum, & quod non sit a se, cognoscit Authorem sui, & gratias agens pro eo, quod facit in ipsum bene, laudat & adorat. Haec sufficere poterant homini, vt per ea, quae facta sunt intellecta conspicerentur eius inuisibilia,

sibilia, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas, vt Deum agnoscens, sicut Deum glorificaret, eique grátias ageret. Verum dixit insipiens in corde suo: non est Deus, non est, qui fecit solem & lunam, & stellas, & terram & iumenta & hominem. Et alius stultus: non curat rerum omnium artifex artificium suum, nec glorificationem, actionemque gratiarum desiderat. Vtinam insipientes isti in suo tantum corde locuti fuissent, & pessimis suis sermonibus alios subuertendo in eandem non praecipitassent insipientiam. Ast meliores Philosophi, quorum industriam abusus philosophiae exagitauit, vt eo fortius eorum obuiarent stultitiae, argumentis physicis metaphysica coniunxerunt, & Deum vnum, optimum, potentissimum, sapientissimum, omnibusque aliis possibilibus perfectionibus praeditum necessario existere demonstrarunt, qui totum hoc vniuersum ex nihilo produxit, illudque conseruat, ac prouidentissime gubernat: & cum sit summe bonus, Creator, Conseruator, ac Gubernator, omni esse amore dignum,

laudandum, ei gratias agendum, ſeruiendumque, prout ipſi, non prout nobis placuerit. Hoc non intelligere volentes quidam dixerunt: Deum homini dediſſe lumen rationis, quae in diuini cultus, ſeu Religionis negotio ſolummodo deberet audiri, ne ſimiles enthuſiaſtis diuinam admitterent Reuelationem. Verum tamen ii meliores Philoſophi demonſtrarunt: etiamſi lumen rationis humanae adeo ſublime foret, vt certo cognoſceret omne rectum, conuenientemque aliquem diuinae Maieſtati cultum, tamen poſſe Deum cultum peculiarem exigere, huncque manifeſtare, quo ei homo ſeruire tenetur. Et vt oſtenderent, quam immerito extollatur rationis lumen, & quam impie diuina negetur reuelatio, ad funeſtam veterum Philoſophorum experientiam prouocarunt. Quamuis enim ii fuerint ſummo ingenio praediti, maximamque adhibuerint diligentiam in omnibus iis inueſtigandis officiis, quae Deo, nobis, aliisque debemus, in multos tamen grauiſſimosque prolapſi ſunt errores. De multis inter ſe adeo acri-

ter

ter disputabant, vt homines incerti essent, cuinam sententiae adhaererent etiam in rebus omnino necessariis. Considerata rationis humanae infirmitate tam ad inueniendum, quam ad persuadendum veritates etiam naturales, necessitatem reuelationis diuinae in Religionis negotio patescere probant. Cum vero multi diuersas iactarent diuinas reuelationes, & ex diuersis reuelationibus diuersas inducerent Religiones, Philosophi vlterius progressi characteres genuinae reuelationis, penes quam & vera esset Religio, feliciter statuerunt, hosque characteres vnice Reuelationi in Veteri ac Nouo Testamento contentae conuenire, Religionemque christianam veram ac genuinam esse inuincibilibus euicerunt argumentis. Sed surrexerunt insuper, qui tam vetus, quam nouum Testamentum vt a Deo reuelatum agnoscentes, quasdam tamen veritates reuelatas confiteri recusantes, Christiano nomine perperam gloriantur. Hoc hominum genus iam non Philosophi illi sua philosophia ad sanam re-

vocare poſſunt doctrinam, cum oſtendere nequeant, quaenam ſint veritates reuelatae, etſi oſtenderint veritates revelatas in veteri ac nouo contineri Teſtamento. Quapropter non deferentes ſuam Philoſophiam, ſed Theologiam ſibi adiungentes fortiter dimicent: & cum veritate vicerint, & ita vicerint, vt alter deponat errorem ac credat, non perſuaſibilibus ſuis humanae ſapientiae verbis adſcribant hanc victoriam, ſed diuinae in illo altero operanti virtuti Spiritus - Sancti, qui vbi vult, ſpirat.

De

De Principiis Theologicis.

De Diuinae Reuelationis existentia.

1. Existit diuina Reuelatio;
2. non in *oraculis* gentilium, quae partim impia, partim ambigua, partim falsa, partim casu vera fuerunt:
3. nec in *Talmud* Iudaeorum, ob innumeras, quibus scatet, antilogias, impiasque ac ridiculas Traditiones:
4. nec in *Al-Koran* Muhamedanorum, cuius figmentum produnt falsitas, impietasque doctrinae, miracula falsa, ac falsae prophetiae:

Scriptura Vet. Test.

5. Existit autem in Veteri Testamento, praecipue in quinque libris Moysis, & in libris Prophetarum,
6. quorum *authentica* irrito lacessitur conatu.
7. His in libris etiam Nouum Testamentum, ac vberior, pleniorque spondetur diuina Reuelatio.
8. Quae & facta reipsa fuit per Iesum Christum, imperante Augusto, in Iudaea natum;

9. Cuius Reuelationem diuinam esse, miraculorum veritate, vaticiniorum adimpletione, doctrinae sanctitate, mirifica illius per homines illiteratos, omni, si rem humano more aestimes, authoritate ad persuadendum destitutos sine vi, sine armis propagatione, stupenda tot Martyrum pro illius veritate morientium constantia, conuersione tot Iudaeorum, gentiliumque natalium splendore, gestis Magistratibus, sapientiae laude conspicuorum &c. inuicte comprobatur.

Scriptura Nov. Test.

10. Reuelatio a Iesu Christo facta partim in libris N. T. continetur,
11. quorum *authentia* tam firmo insistit talo, vt nisi puriſſimis criticae regulis subuersis labefactari non possit:

Traditio.

12. Partim in Traditione, quae est Reuelatio a Iesu Christo facta, in libris N. T. non consignata, sed oretenus tantum propagata.

SS. Patres.

13. Huius testes sunt, praecipue Scriptores illi antiquitate, doctrina, morumque probitate praestantissimi, quos Patres vocamus. *)

*) De his vberius in Pahalog.

Iudex Controuerſiarum circa Reuelationem.

14. Ieſus Chriſtus orituras praedixit controuerſias circa Reuelationem, ſicut & exortae ſunt; ſed prouidit Reuelationis in Scriptura & Traditione contentae cuſtodem, Interpretem, & arbitrum

Eccleſiam:

15. Non illam, quam *diſcentem* vocamus, ſed *docentem.*
16. Eccleſia docens ſiue diſperſa, ſiue in vnum congregata in dirimendis controuerſiis Reuelationem concernentibus inerrantiae dono diuinitus eſt praedita.
17. Quo inerrantiae dono vtrum Caput Eccleſiae, *Papa*, etiam gaudeat, alii diſcutiant. Certe, ſi Caput Eccleſiae docet, cum veneratione ac obedientia illius doctrinam ſuſcipiamus oportet, eoquod Eccleſia docens non omni caſu congregari valeat aut debeat.
18. An Eccleſia docens etiam inerrantiae dono praedita eſt circa facta dogmatica, circa beatitudinem, & canonizationem Sanctorum, tandemque circa approbationem vel reprobationem Ordinum Religioſorum? - -

S. Auguſtinus ait *): *Inſolentiſſimae inſaniae eſt diſputare, an ſit faciendum, quod tota facit Eccleſia.*

19. An in rebus quoque diſciplinae eccleſiaſticae? -- In huius quaeſtionis ſolutione lubeat attendere diſcrimen: aliud eſſe *docere;* aliud *vrgere*, quod docetur. Primum ſoluat Doctor Theologiae; alterum Doctor Iuris Eccleſiaſtici.

20. Docentis Eccleſiae ſiue diſperſae, ſiue congregatae iudicium, quo iudicat hoc vel illud eſſe reuelatum aut non reuelatum, dicitur *Dogma*: docentis Eccleſiae autem congregatae iudicium publicum dicitur *definitio*. Dogma igitur latius patet.

De Symbolis.

21. Eiusmodi dogmata plurimam partem inuenire eſt in Symbolis, puta, Apoſtolico, Nicaeno, Conſtantinopolitano, Athanaſio ſic dicto, Lateranenſi, Viennenſi, Florentino, & Tridentino.

De Theologia Dogmatica.

22. Ea, quae reuelata ſunt vel ad credendum, ſeu ad fidem; vel ad agen-

*) Epiſt. 54. alias 118.

agendum ſeu ad mores pertinent. Si ad credendum, dicitur Eccleſiae de iis iudicium *Dogma Fidei;* ſi ad agendum, *Dogma morum.*

23. Diſciplina, quae de his dogmatibus agit, Theologia audit. Cum duplicis generis dogmata ſint, alia Theologia Fidei, alia Theologia morum appellanda mihi videtur: ſecundum communem vero loquendi modum prior *Theologiae dogmaticae*, poſterior *Theologiae moralis* nomine venit. Hanc diuiſionem aliae ſubſequuntur: verum rem ordine attigiſſe ſufficiat.

His principiis praemiſſis iam ipſa ponamus dogmata Fidei ſecundum methodum, quantum fieri poteſt, ſyſtematicam.

Systematis Dogmatum Fidei

Pars I.

De Deo, vt est vnus in Natura.

§. 1.

De Dei Existentia.

24. Existit Deus;
25. Cuius existentiam nemo rationis compos inculpate potest ignorare.

§. 2.

De Dei Essentia.

26. Essentia Dei non est aspectabilis rerum mundanarum vniuersitas:
27. Sed complexus omnium diuinorum Attributorum;
28. quorum veluti fontem & originem schola constituit in Aseitate.

§. 3.

De Dei Attributis.

29. Attributa potissima sunt: Vnitas,
30. Immutabilitas,
31. Aeternitas,
32. Simplicitas,
33. Incorruptibilitas,
34. Intellectus infinitus,
35. Omniscientia,

36. Veritas infinita,
37. Sapientia infinita,
38. Voluntas liberrima, omnipotens, & efficaciſſima,
39. Iuſtitia infinita,
40. Bonitas infinita,
41. Veracitas ſine limite,
42. Omnipraeſentia,
43. Sanctitas infinita.

§. 4.

De Attributorum diſtinctione.

44. Attributa Dei ab eius eſſentia, aut inter ſe, realiter non diſtinguuntur:
45. Diſtinguuntur tamen noſtro cogitandi modo.

Pars II.

De Deo, vt eſt Trinus in Perſonis.

§. 1.

46. Scriptura ſacra, quae tot locis & tam luculenter Deum vnum eſſe ſignificat, ea ipſa non minus perſpicue teſtatur tres eſſe in Deo Perſonas, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum-Sanctum, quibus diuina illa natura competat, & communis ſit, ita vt ſint conſubſtantiales.
47. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus:

48.

48. Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus:
49. Spiritus-Sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Pars III.

De Creatione Mundi ac Prouidentia.

§. 1.

De Creatione Mundi.

50. Deus mundum produxit
51. ex nihilo
52. cum tempore
53. propter ſemetipſum, ſicut & cetera.

§. 2.

De Creatione Angelorum.

54. Creauit etiam Spiritus, qui a miniſterio *Angeli* vocantur.
55. Horum quidam ſteterunt, & *boni* dicuntur; quidam peccarunt, & *mali* dicuntur.
56. Boni in plures diſtincti ordines
57. Dei laudibus & miniſterio intendunt:
58. cuius miniſterii pars eſt cuſtodia hominum.
59. Malos in poenam peccati multauit Deus obſtinatione voluntatis,

60. Carentia Beatitudinis,
61. & tormento ignis.

§. 3.

De Creatione Hominis.

62. Vltimo creauit Hominem, Adam & Euam,
63. ad imaginem ſuam,
64. rectum,
65. innocentem & iuſtum,
66. immunem a concupiſcentia,
67. inexterminabilem,
68. Felicem commodo vitae externae.

§. 4.

De Prouidentia.

69. Rebus a ſe creatis Deus etiam prouidet, & adhuc prouidet
70. Conſeruatione,
71. Concurſu,
72. Gubernatione.

Pars IIII.

De lapſu primorum hominum, generisque humani Redemtione.

§. 1.

De miſero ſtatu hominum.

73. Peccauerunt autem Adam & Eua,
74. transgrediendo Dei mandatum, quo eſum de arbore boni & mali prohibuit.

75. Peccatum ſecuta eſt poena:
76. ablata nimirum iuſtitia originalis,
77. Perdita gratia ſanctificans,
78. Captiuitas ſub poteſtate Daemonis,
79. rebellio carnis aduerſus Spiritum,
80. ſauciatum liberum arbitrium,
81. amiſſio immortalitatis corporis,
82. eiectio ex Paradiſo,
83. ſterilitas terrae,
84. tenuitas victus,
85. moleſtia laboris,
86. in Eua peculiariter aerumnae conceptus,
87. dolores partus,
88. & dominium viri.
89. Peccatum Protoplaſtorum & cum peccato captiuitas ſub poteſtate daemonis in omnes pertranſiit poſteros (quod propterea peccatum *originis*, ſeu originale appellatur)
90. ad quos & reliqua Protoplaſtorum corruptio eſt propagata.

§. 2.

De Liberatione.

91. Relinqueret Deus iuſto ſuo iudicio ad oſtenſionem irae & potentiae ſuae omnem hominem in maſſa perditionis & captiuitate daemonis,
92. ex qua ſe ipſum homo eruere non poterat.

93.

93. Sed vt iram & potentiam ſuam oſtenderet,
94. ac ſimul notas faceret diuitias gloriae ſuae, ſuamque manifeſtaret miſericordiam & dilectionem,
95. decreuit quosdam, quos inſcrutabili ſuo iudicio voluit, a maſſa perditionis diſcernere, & a captiuitate daemonis ſaltem finaliter liberare:
96. quosdam liberare tantum ad tempus:
97. omnibus autem media liberationis praeparare.

§. 3.
De Redemtore.

98. Cum vero Deus liberationem fieri voluit exhibita ſatisfactione integra,
99. & homo ex ſe non haberet, vnde ſatisfaceret,
100. mittere decreuit Deum - Hominem Redemtorem,
101. qui vt homo poenas peccatis noſtris debitas portaret;
102. & vt Deus meritum infinitum poenis ſatisfactoriis communicaret,
103. noſtrasque ſanaret infirmitates.

§. 4.
De Promiſſione Redemtoris.

104. Hunc Redemtorem Deus mox a peccato mittere noluit,

105. Sed primis noſtris parentibus tantum illius promiſſionem fecit,
106. in quem iam tum ad ſalutem conſequendam credere neceſſarium fuit.
107. Factam promiſſionem, fidemque in Redemtorem neceſſariam Adam in poſteros ſuos propagauit.
108. Verum cum peruerſitas hominum eo tandem proceſſiſſet, vt vitiis ſceleribusque fere omnes indulgerent, Deus, humano genere per diluuium perdito, piam tantum Noe familiam ſeruauit, quae promiſſi Redemtoris fidem ad poſteritatem traduceret.
109. Vergentibus ſucceſſu temporis iam pene omnibus ad Idololatriam, ſelegit ſibi Deus Abraham, vt ex eius ſtirpe peculiarem ſibi formaret populum, cui traderet conſeruanda, quae de venturo Redemtore pedetentim dare ſtatuerat vaticinia.
110. Duplex inſuper Abrahae a Deo facta fuit promiſſio, vna terrae Chanaan poſſeſſionem copioſae eius poſteritati donandam continebat:
111. Altera, quae nobilior, & vocationis eius primarius finis, de glorioſo Redemtore erat ex ſua progenie naſcituro, in quo benedicendae eſſent vniuerſae cognationes terrae:
112. quam promiſſionem etiam ſigno circumciſionis & iuramento firmauit.

113.

113. Plures Filios ex diuerſis vxoribus obtinuit Abraham; vtramque tamen pollicitationem Deus dedit Iſaac.
114. Iſaac duorum filiorum genitor, maiore ſecundum Dei propoſitum praetermiſſo, benedictionem vtramque contulit Iacobo:
115. Hic liberis procreatis duodecim terrenam benedictionem omnibus impertiuit;
116. Spiritalem vero, gratuita Dei electione, transmiſit ad Iudà, deſignato etiam tempore, quo mundi Redemtor ex eius oriturus progenie apparere debebat.

§. 5.

De Figuris Redemtorem ſpectantibus.

117. Quod ſpoponderat Deus ſe Abrahae poſteris terrae Chanaan poſſeſſionem daturum, complere ſtatuit.
118. Quapropter modo Omnipotentiae ſuae verae conſentaneo populum ſuum electum, quemadmodum praenuntiauerat, ex ſeruitute Aegypti liberat,
119. legemque per Moyſen in deſerto promulgat,
120. cuius ſcopus erat fidem ſeruandi & ſpem venturi Redemtoris.

121. Hinc ſacrificia, expiationes, Sacramenta legis praefigurabant Redemtorem, atque ad eum velut manuducebant.

122. Atque vt populus electus percipe-
ret clarius, ſe ad feliciora Redemto-
ris tempora diſponi, ſpondet Deus
inſignem, magnumque Prophetam
Moyſi ſimilem, cui obedientiam
omnem praeſtare teneretur.

123. Poſſeſſa vero terra Chanaan, mul-
tiplicata per diuturnum annorum
circulum Iudae familia, & rege,
cum vellent filii Iſrael, Saule conſti-
tuto & poſthac reprobato, elegit ſibi
Deus virum ſecundum cor ſuum,
paſtorem Dauid ex tribu Iuda, ex
familia Ieſſe, cui regnum dedit, &
promiſit, ex ipſius ſtirpe oriturum
Redemtorem.

§. 6.

De Prophetiis Redemtorem ſpectantibus.

124. Cum ad magnum Redemtionis opus
magis magisque Deus hominem
praeparare, ſuaque conſilia ſemper
clarius manifeſtare vellet:

125. probos plures, ſanctosque viros
ſuo ſpiritu afflatos eum in finem
ſuſcitauit, vt de Redemtore vatici-
narentur,

126. eumque ita describerent, vt imperitus, pertinax ac obcaecato animo sit, qui ipsum agnoscere renuat.
127. Ex his fuerunt praecipue Dauid Rex, Isaias, Ieremias, Daniel, Michaeas, Zacharias, Aggaeus & Malachias:
128. per quorum vaticinia praedicebantur Redemtoris aeterna generatio ac diuinitas,
129. Natiuitas in tempore ex Virgine Matre,
130. tempus natiuitatis,
131. locus natiuitatis & habitationis,
132. vitae genus,
133. eius Praecursor,
134. Praedicatio & miracula,
135. Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech
136. Abrogatio antiqui foederis, nouique institutio,
137. Proditio & interitus proditoris,
138. Accusatio & silentium,
139. Percussio, vulneratio, opprobria,
140. Crucifixio inter malefactores,
141. Subsannatio in cruce, & aliae mortis circumstantiae,
142. Resurrectio,
143. Ascensio in coelum,
144. Conuersio gentilium, haecque futura per eius discipulos,

145. Iudaeorum caecitas, diſperſio, & reprobatio &c.

§. 7.

De Redemtore nato.

146. Vbi ergo aduenit plenitudo temporis, quod praedictum fuit per prophetas,
147. natus eſt ex Maria Virgine Redemtor noſter, per quatuor annorum millia promiſſus ac deſideratus.
148. Hic eſt Ieſus Nazaraenus, qui regnante in Iudaea Herode Magno ſub Auguſti imperio lucem aſpexit:
149. ille enim omnes characteres, quibus per Prophetas inſignitum diuina Prouidentia voluit, adimpleuit, vt ex euangelica hiſtoria cum iis collata palam fit.

§. 8.

De Myſterio Incarnationis.

150. In Ieſu Nazaraeno, qui & dicitur Chriſtus, ineffabile *Incarnationis* Myſterium inuenitur.
151. Sacri enim Vates Chriſtum non merum hominem, ſed diuinae naturae futurum fore conſortem praedixerunt.

152. Quibus concinunt Noui Teſtamenti Scriptores, praeſertim Euangeliſta Ioannes, qui *Verbum* a principio apud Deum exiſtens, ipſummet Deum carnem humanam aſſumſiſſe ait *): & Euangeliſta Lucas ab Angelo Mariae dictum narrat: Quod ex te naſcetur, vocabitur *Filius Altiſſimi, Filius Dei.* **)

153. Quod profecto eſſe haud poteſt, quin aeternus Dei Filius naturam humanam ſibi vniret, propriaque terminaret ſubſiſtentia, quae vnio *hypoſtatica* dicitur.

154. Humana Chriſti natura admirabili Spiritus - Sancti virtute formata fuit, ita, vt permanente virginitatis flore Maria conceperit, & pepererit, quem Deus etiam perpetuo in Ea illibatum conſeruauit.

155. Corpus autem Chriſti non ex elementis ſuperioribus compactum, aut de coelo delapſum per Virginis vterum velut per canalem tranſiit, nec illud phantaſticum fuit; nec anima caruit humana:

156. ſed ex puriſſimo B. Virginis ſanguine corpus fuit compactum, praedi-

*) Ioann. c. 1.
**) Luc. Cap. 1. v. 32. & 35.

tum anima rationali & intelligente, humanis affectibus doloribusque obnoxium.

157. Duae igitur in Christo erant naturae inconfusae & impermixtae:
158. Duae voluntates & operationes:
159. vna Persona:
160. vnus Dei Filius, isque naturalis, non adoptiuus.
161. Quapropter Christus cultu latriae est adorandus:
162. & B. V. Maria recte appellanda *Deipara*.

§. 9.

De Christi operibus satisfactoriis, & meritoriis, seu de Christo Mediatore.

163. Natus est Redemtor noster, Christus, vt homo per ipsum liberaretur, & perditam recuperaret salutem.
164. Hunc in finem perpetua obedientia, humilitate, paupertate, innumerisque aliis operibus, cumprimis passione ac sacrificio crucis poenas peccatis nostris debitas nostri loco sustinuit, pro nobis satisfecit, nosque redemit soluto pretio, ita,
165. vt ipsius meritis non tantum expiationem delictorum nostrorum originalis & omnium actualium, cum Deoque reconciliationem,

166. ſed etiam media & auxilia haberemus, quibus fructus ipſius meritorum nobis applicaretur.
167. Neque nobis ſolum profuit, ſed ſibi quoque ſua obedientia, qua Patri fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, promeruit glorioſam Reſurrectionem, Aſcenſionem in coelum, ſedem a Dextris Patris, id eſt, omnem poteſtatem in coelo & in terra, exaltationem nominis ſui, vt in nomine Chriſti omne genu flectatur coeleſtium, terreſtrium, & infernorum.
168. Mediationi & exaltationi Chriſti nihil derogat inuocatio & interceſſio Sanctorum;
169. quos colere & venerari licitum,
170. etiam in imaginibus eorum:
171. nec ſuperſtitionem redolet cultus congruus crucis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, aut reliquiarum Sanctorum.

§. 10.

De Chriſto Legislatore, Nouique Foederis Inſtitutore.

172. Foederis antiqui interitus ſaepe fuit praenuntiatus.
173. Eius loco nouum erexit Chriſtus cum noua ſocietate a ſe inſtituta,
174. cui leges ſaluberrimas dedit,
175. ad finem vsque mundi duraturas.

176. Contulit ei etiam in poteſtate clavium & poteſtate ligandi, ſoluendique
177. Ius determinandi,
178. Ius ferendi leges,
179. Ius decidendi controuerſias,
180. Ius cogendi.
181. Ipſam vero hanc in noua ſocietate poteſtatem non ſingulis ſocietatis ſuae membris, ſed tantum Apoſtolis Chriſtus concredidit,
182. prae ceteris autem Petro, cui & iurisdictionem in ceteros dedit.
183. Haec peculiaris poteſtas Petro data *Primatus* dicitur, qui non ſolum honoris, ſed & iurisdictionis eſt.
184. Poteſtatem & Petri & Apoſtolorum ad ſucceſſores pertranſire voluit Chriſtus.
185. Inde in Eccleſia, ſiue ſocietate a Chriſto inſtituta etiamnum viget *Primatus*, qui ex facto Petri annexus eſt Sedi Romanae.
186. Inde in Eccleſia *Epiſcopi*, Succeſſores Apoſtolorum.
187. Praeter Apoſtolos Chriſtus & alios LXXII inſtituit *diſcipulos*,
188. quibus ſucceſſere Presbyteri *ſecundi ordinis*.
189. Inde Hierarchia in Eccleſia conſurgit.

190.

190. Societatem ſuam, ſeu Eccleſiam Chriſtus viſibilem eſſe voluit & vnam,
191. quae a quauis alia ſocietate ſpuria his praecipue characteribus ſegregatur:
192. quod ſit ſancta,
193. catholica,
194. & Apoſtolica.
195. Deſtructo per Chriſtum antiquo foedere, abrogata quoque fuerunt ſacrificia antiqua,
196. nouumque, ſicut praenuntiabatur, & verum noui foederis ſacrificium a Chriſto fuit inſtitutum;
197. vere propitiatorium,
198. ac impetratorium.

Pars V.

De Applicatione ſalutis per Chriſtum nobis partae.

199. Quam Chriſtus humano generi vniverſo ſalutem peperit, hanc vt apprehendant homines, eandem ſibi applicare tenentur per auxilia, quae nobis Chriſtus promeruit, & media, quae ordinauit.
200. Applicatio autem fit & in paruulis, & in adultis: in paruulis per lauacrum regenerationis; in adultis in-

super per fidem in Christum ex dilectione operantem.

§. 1.

De Gratia Vocationis.

201. Quod Christus vtrisque praeparavit remedium, Deus secundum voluntatis suae propositum distribuit.

202. Non enim omnis paruulus ita vocatur ad lauacrum regenerationis, vt etiam perueniat ad illud, quamuis omni paruulo fuit praeparatum:

203. Sed Deus illum non debita misericordia vocat, vt illuc perueniat; illum iustitia sua derelinquit.

204. Neque omnis adultus vocatur ad fidem, aut non ita vocatur, vt credat, etsi Christus praedicantes praeparauit per orbem vniuersum.

§. 2.

De Gratia auxiliari.

205. Sunt enim, qui audiunt & non credunt, quorum corda propter mala merita sua Deus excaecauit, & obdurauit.

206. Ii autem qui credunt, suo quidem libero arbitrio credunt, sed interna illustratione intellectus & motione voluntatis adiuti credunt.

207. Hoc adiutorium, quamuis nobis Christus promeruit, Deus tamen, quibus vult, misericorditer elargitur; quibus non vult, iusto denegat iudicio.

208. Non igitur secundum merita humana datur, sed secundum Dei propositum.

209. Hoc adiutorium est adeo necessarium, vt nemo nisi per illud habeat fidem:

210. Sed & pii credendi affectus haberi non possunt, nisi Deus illustret & moueat.

211. Hoc adiutorio, quo nos illustrat Deus & mouet, non tantum ad fidem, sed ad omne quoque opus salutare ita indigemus, vt nec huius initium, nec progressus nec consummatio aliter haberi valeat.

212. Hoc adiutorium non est in omnibus, quibus datur, aequale; hunc enim Deus ita illustrat & mouet, vt velit & faciat, illum non ita movet:

213. Primum ex non debita misericordia, alterum ex iusto iudicio, cum non sit iniquitas apud Deum.

§. 3.

De Sacramentis.

214. Non ſufficit ſola fides, niſi ſit formata dilectione ſeu charitate; quae eſt in iuſto, in peccatore non eſt.

215. Vt acquiratur, ſi non habetur, vel vt augeatur, ſi iam habetur, Chriſtus ſeptem ſaluberrima inſtituit Sacramenta, id eſt, res ſenſibus ſubiectas, per diuinam inſtitutionem ex opere operato gratiae iuſtificantis tum ſignificandae, tum efficiendae, virtutem habentes:

216. videlicet Sacramentum Baptiſmi,

217. Confirmationis,

218. Euchariſtiae,

219. Poenitentiae,

220. Extremae Vnctionis,

221. Ordinis,

222. & Matrimonii:

223. quorum ſcopum,

224. effectum,

225. naturam,

226. & Miniſtrum ſecundum definitones Tridentinae Synodi credimus ac propugnamus.

§. 4.

De Iuſtificatione.

227. Princeps itaque effectus Sacramentorum eſt gratia ſanctificans ſeu iuſtificatio: vel iuſtificationis augmentum.

228. Ad hanc quidem fides diſponit,

229. ſed ſola non ſufficit.

230. Haec iuſtificatio ſemel aut ſaepius acquiſita denuo poteſt amitti.

§. 5.

De Merito.

231. Fides charitate inſtructa etiam bene operetur neceſſe eſt.

232. Haec autem opera, ſi ex fide per dilectionem fiant, non tantum bona, ſed & vitae aeternae meritoria ſunt;

233. ita tamen, vt haec noſtra merita dona Dei ſint.

Pars VI.

De Fruitione Salutis per Chriſtum partae, poſt vitae humanae exitum.

§. 1.

De mutationibus antecedentibus particularibus.

234. Statutum fuit in poenam peccati omnibus hominibus mori.

235.

235. Mortem ſubſequitur iudicium particulare,
236. in quo anima iudicata, ſiquidem iuſta ſit, & nihil infirmitatis humanae purgandum habeat, mox praemio afficitur;
237. aut ſi aliquid purgandum haeret, eluendum eſt ei illud, antequam ad praemium admittatur:
238. Si vero ſit iniuſta ſiue iniuſtitia ſolum originali, ſiue iniuſtitia per voluntatem propriam contracta, illico multatur ſupplicio.

§. 2.

De mutationibus praecedentibus vniuerſalibus.

239. Mundus vero interibit,
240. ſed priusquam mundo veniat interitus, quaedam praecedent ſigna:
241. & erit vniuerſalis corporum reſurrectio;
242. & adueniet Chriſtus Dominus in Maieſtate ſua in Sanctis millibus ſuis facere iudicium de omnibus viuis & mortuis, id eſt, de iuſtis & iniuſtis.
243. Lata in iuſtos & iniuſtos ſententia, non futurum eſt regnum millenariorum,

244. Sed consummatio seculi, cum coeli magno impetu transibunt; elementa vero calore soluentur, terra autem, & quae in ipsa sunt opera, exurentur.

§. 3.

De aeterna Vita, ac Damnatione.

245. Et iusti quidem assumtis corporibus suis mira iam claritate ac splendore fulgentibus,

246. nec morti,

247. nec vlli molestiae obnoxiis,

248. aeterna ex visione Dei & consortio mutuo Beatorum & Angelorum fruentur felicitate,

249. maiore vel minore pro diuersitate meritorum.

250. Iniusti autem assumtis suis corporibus

251. ad aeterna damnabuntur supplicia.

In omnibus glorificetur Deus.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Aman, Michael,

Tres synopses trium opusculorum S. Augustini, scil. Epistolae ad Sixtum

Straubinga 1782
Diss. 159
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10839870-3
VD18 1481224X-001